



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

298. feria 5. de Pauperitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

526 *Feria 5. Domi. 18. post Pentecost.*

pro gloria Dei, vel imitatione Christi, cum gaudio sicut Apostoli ibant gaudentes, &c. Ferre eadem non solum a malis, sed etiam a bonis, arbitrantibus se obsequium prestare Deo, pro beneficijs retribuendis mala, volentibus nocere, in medijs hisce malis quietum filere.

MEDITATIO CCXCVIII.

Feria 5. Domin. 18. post Pentecost.

De paupertate.

Videbo Dominum IESVM nihil cupientem, nihil possidentem, ut Paupertatem mundo absconditam manifestaret, pauperiorem factum vulpibus, & volucris coeli. Petam Dominum meum imitari.

Conf. 1. Paupertas est virtus, quæ moderatur appetitum possidendi res temporales, ut solis necessarijs secundum statum faciat contentos.

Conf. 2. Incitamenta 1. relinquentibus sua propter Christum promittit Dominus centuplum in hac vita, ut sine solitudine necessaria habeant, & post hanc vitam regnum coelorum possideant. 2. Multis curis animam liberat, quæ perfectionem impediunt: *Voluntaria Paupertas inchoat perfectionem*, inquit D. Gregor. lib. 2. moral. c. 27. 3. Exemplum Christi, qui cum esset dives propter

Feria 3. Domin. 18. post Pentecost. 527

propter nos egenus factus est: ad hoc elegit Matrem pauperem pauper Filius, domum pauperulam, suppellectilem exiguam, non paupertate fortuitâ, sed decretâ: non invenit locum in diversorio: relictus in templo per triduum mendicatio vixit, juxta D. Bernardum, passus defectum in cibo, potu, vestitu, domo, servitio, solatio: usus jumento alieno, à prædicatione ad vesperam circumspexit, si à quopiam invitaretur, & nemo eum recepit, unde in Bethaniam ire coactus: Pascha precario sumit eum Discipulis in domo aliena, non habuit pretium, quo tributum penderet, vixit eleemosynis, vestis Christi pauper, toga incôsulibus contexta per totum, rudis sine arte, instar sacci, usus sandalijs tentatus à spiritu avaritiæ noluit permittere sibi diutius omnia mundi regna, quam momento temporis repræsentari: frigidam in Cruce mendicabat: in alieno sepulchro, linceoque alieno involutus est.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. Omnia superflua statui dimittere, & in pauperes distribuere. 2. Dominio temporali renuntiare, & nihil proprium possidere. 3. Contentum esse victu frugali, & necessario tegumento. 4. Seipsum etiam necessarijs indignum reputare. 5. Si necessaria defuerint, patienter, æquanimiter, & hilariter ferre. 6. Non esse immoderac

528. *Feria 6. Domin. 18. post Pentecost.*
ratè sollicitum pro necessarijs sed sollicitudinem in Deum convertere. 7. Superflua non petere, & oblata non recipere, necessaria more pauperum ex eleemosyna (si status meus id patiatur) humiliter petere.

MEDITATIO CCXCIX.

Feria 6. Domin. 18. post Pentecost.

De Pœnitentiâ.

Aspiciam D. JESVM vultu, ore, voce, usu, præconem, pœnitentiæ: Quoniam impletum, inquit, est tempus, & appropinquavit regnum Dei, pœnitementi, & credite Evangelio. Marc. I. Ita Christus incepit prædicare, postquam Ioannes fuisset vinctus in carcere. Pœnitentiam obedire Evangelio.

Conf. 1. Pœnitentiâ est virtus, quâ peccata nostra, ut sunt Dei offensa detestamur, & ad eorum expiationem, & satisfactionem venire contendimus.

Conf. 2. Incitamenta. 1. si peccatum est mors, pœnitentiâ ad vitam revocat. 2. Peccatum est magna in Deum peccatoris procacitas, cuius remedium post baptismum aliud non est, nisi pœnitentiâ. 3. Christus nos ad pœnitentiâ accendit, qui ob peccata nostra, tam dura, & aspera plurima tulit, ut nos ea agnoscentes inconsolabiliter lugeamus.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. peccatum grave detestatur.